

favorabiliter adhibemus, et quantum in nobis est et ad nos spectare de iure noscitur, eandem ecclesiam seu praeposituram — — Mynsensi ecclesiae appropriamus et in proprium dedimus et donamus archidiaconatui Lusatiae incorporandam annectendam et uniendam et per archidiaconum ipsius pro tempore perpetue possidendam. — Praesentibus et testibus honorabili viro domino Theoderico decano Mynsensi et nobili Friderico de Schonyenburg domino in Gluchowe, ac strenuo Henrico de Kothewitz cancellario, Theoderico de Hvnsberg marschalko, Friderico de Kothewitz militibus, Nicolao plebano in Olsnitz notario et Hartmanno de Welyn iudice curiae nostrae, secretariis fidelibus nostris dilectis. Actum et datum anno dom. millesimo tricentesimo sexagesimo secundo in crastino beati Bonifacii quae fuit sexta dies mensis Junii.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den kleineren Siegeln der fürstlichen Brüder (Gemme, Schild mit 4 Löwen und Helm mit Judenkopf) an Pergamentstreifen.

No. 541. 1362. 13. Aug.

*B. Johann und das Capitel verkündigen ihre Zustimmung zu der beabsichtigten Vereinigung der Probstei Lübben mit dem bei dem Hochstift bestehenden Archidiaconat der Lausitz.*

In nomine domini amen. Etsi quaelibet pietatis opera etc. — Hinc est quod nos Johannes dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus notum facimus — quod quia magnificus princeps dominus Lodewicus Romanus Brandenburgensis et Lusatiae marchio, sacri Romani imperii per Germaniam archicamerarius, comes palatinus Reni et Bavariae dux pia devotionis zelo, quem ad ecclesiam nostram praedictam gerere videbatur, illectus, attendens sagaciter et considerans, quod archidiaconatus Lusatiae dignitas est in ecclesia Misnensi nec consuevit per aliquem alium quam per canonicum de gremio capituli Misnensis existentem haberi, quodque propter longam distantiam terrae Lusatiae a civitate Misnensi, in qua archidiaconus Lusatiae pro tempore, cum domum aut receptaculum aliquod in Lusatia non habeat, continuam moram trahit, homines et incolae eiusdem terrae tam clerici quam laici pro negotiis et causis suis non solum maioribus, sed et minimis peragendis oportet non sine magnis et periculosis laboribus et expensis per multa viarum discrimina civitatem Misnensem fere cottidie visitare, volensque in eo suis subditis et ipsius archidiaconatus inopiae pie consulere et ipsorum providere commodo et quieti, ius patronatus, quod in ecclesia parochiali sive praepositura in Lubbin in archidiaconatu praedicto sita aut ius praesentandi rectorem ad eandem habere noscebatur, de consensu et conniventia illustrium principum dominorum Friderici, Balthazar et Wilhelmi Thuringiae lantgraviorum et marchionum Misnensium, qui terram Lusatiae cum universis suis pertinentiis titulo pignoris tunc habebant, ecclesiae nostrae praedictae dedit, appropriavit et donavit ad hunc finem, quod ecclesia eadem sive praepositura cum omnibus suis pertinentiis archidiaconatui Lusatiae praedicto per nos incorporaretur, annecteretur et uniretur per archidiaconum ipsius pro tempore perpetuo possidenda, fuitque nobis per honorabilem virum Conradum Prütze canonicum ecclesiae nostrae et archidiaconum Lusatiae modernum super incorporatione et unione huiusmodi facienda humiliter supplicatum.